



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Floremundi Raemundi V. Cl. Olim Consiliarii Regis  
Galliarvm Ex Calviniano Catholici Synopsis Omnium hujus  
temporis Controversiarum tam inter Lutheranos,  
Calvinistas quam alios plurimos. Sive Historia ...**

**Raemond, Florimond de**

**Coloniae Agrippinae, 1655**

IV. Quibus artibus ad id sit usus.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-10880**

quidem primaria non Galliarum tantum, sed universi etiam orbis sacrarum litterarum schola, pluribus regi ac senatui regio demonstravit, quam perniciosè in eo eretur, quod ad litterarum professionem sine delectu passim quicumque admitterentur. Neque enim periculo carere, quod Grammatici etiam falcè in alienam messem mitterent, & Theologicarum rerum susceperent tractationem. Sic enim fore, ut quisque hic Græcam, ille Latinam, alius aliam versionem exagitandam sibi sumerent, aut propriam comminiscerentur, sicque hæresos virus doctrinæ suæ inspergent. O bonum & salutare consilium, si modo ei fuisset obtemperatum! Beda quidem & Quercæus, uterque magni nominis Theologus (quos Genueusis Ecclesiæ Historia duas magnas bestias appellat) hac de re ipsi regem monuerunt: quem tamen immoderatus erga litteratos amor sic transversum rapuit, ut neminem doctrinæ commendatione insignem repudiari vellet: quin etiam aliunde venientibus plerisque luculenta stipendia assignavit, disputationibus eorum ipse interfuit (Latinæ enim linguæ usum aliquem habebat, quamvis Historia Genevensis Ecclesiastica maternam tantum calluisse prodatur) & eorum sermonibus quum alias, tum inter prandendum & cenandum mirifice delectabatur, adeoque quoties Scholares filios suos appellabat. Quid tu, aiebat aliquando ad magnatem quendam, qui Scholam alapam inflixerat, An tu filiis meis manum afferre audes? Sane eum in animo habuisse constat, antequam moreretur, Professorum à se institutorum numerum augere, gymnasiumque amplissimum regia magnificentia edificare, in quo omne genus bonarum artium & linguarum doceretur, & ipsi Professores cum sexcentis scholaribus publico sumtu alerentur: quam in rem quinquaginta aureorum millia annuo erogaturus esset.

III. Ut vero olim Syracusanus ille Archimedes admirabilium machinarum inventor, ad earum usum nihil aliud posebat quam pedem unum & alterum solidæ terræ, in quo eas statueret, facile deinde earum ope & artificio ad quæcumque pertinere ea possent, omnia ad se & quocumque vellet attracturus: sic Lutherus primarius schismatis & hæresos architectus, non sine causa sibi persuaserat si magnum hunc Principem suum fecisset, de cetero plana & expedita sibi fore omnia ad universam Franciam suis partibus adiungendam. In hoc uno omnem victoriæ sibi spem positam, facile intelli-

gebat. Quare nihil æque cupiebat, quam liberum sibi ad hunc regem sive per litteras, sive per subornatorum à se hominum sermones & colloquia, aditum parare solitus, Magnos ante omnia captandos esse, reliquam turbam facile sequituram. Sperabat enim quemadmodum Constantio Imperatore in Arrianismum lapsa, & Christiana religione à Juliano deserta, pestis eadem totum fere Imperium pervasit, sic rege hoc suæ factioni adjuncto, universam Galliam Lutheranizaturam. Et sane ita est. Quemadmodum inferiores orbis cœlestes primi mobilis ductum sequuntur; & tota horologii machina admirabiliter inter se connexa, unius rotæ pondere circumagitur: sic Principes moribus & actionibus reliquos facile quamcumque in partem flectunt, adeo ut virtutes modo, sed etiam vitia eorum exprimere conentur, nec tam quid ab illis fieri debeat quam quid fiat, pensi habeant. Non ignorabat Lutherus, si apud ullam nationem illud verum sit quod Poëta dixit,

*Mobile mutatur semper cum Principe vulgus;*

illud apud Gallos longe esse verissimum, ut qui reges suos paullo minus quam ipsum Deum colant, omnesque eorum actiones, tamquam simiæ, imitentur. Neque enim Gallorum rex subditorum personas tantum, verum etiam ipsos animos & corda sibi habet obnoxia. Hinc etiam non *Franciæ* modo, sed & *Francorum Rex* idem nominatur: quod non facile de alio quocumque inter Christianos rege dixeris. Sed, pro dolor! hunc devoti animi Gallorum erga reges suos affectum hæresis in multis novarum rerum studio captis non labefactavit modo, verum etiam pæne exstinxit, ut historia nostræ series docebit.

Porro Lutherus, qui S. illam Apostolicam Sedem evertere penitus constituerat, ut firmissimam hanc ejus columnam & fulcrum convelleret, nihil omnino diligentia prætermisit: commoda ad eam rem occasione usus, quod plerique qui doctrinam suam vanalè exposuerunt, in Franciam concesserant, Lutherana essent factionis, & ab ipso quid agendum esset bene instructi. Quin etiam ipse ad Regem scribere, & unà cum commendatitiis Saxoniarum Ducis litteris, libros suos ad eum mittere ausus est, quod intellexisset Principem illum librorum lectione vehementer delectari: protestans interim, ut tanto facilius fidem sibi faceret, nihil se aliud spectare quam ut mundum se nen à zizaniis mundetur, & Ecclesia tamquam

Augiæ stabulum, ab se tamquam Novo Hercule repurgetur; ac simul rogans, ut se inaudito, nihil statueret. Eundem regem Zvinglius etiam ad suas partes traducere conatus est, dedicato ipsi libro *De vera & falsa religione*: ut etiam Antichristianæ suæ (Christianæ voluit dicere) doctrinæ *Institutiones* ad eundem misit is, qui duobus illis Hæresiar- chis exclusis, præcipuum postea inter sectarios in regno locum sibi vindicavit. Quid multa? Nemo fere erat ex omnibus illis Novitiis Evangelistis, qui non fores has pulsandas, aditumque tentan- dum sibi existimaret, interim inter spem ac despe- rationem boni successus fluctuantes. At tandem frustra omnis eorum fuit conatus. Rex enim ab omni Novitatis quod eo tempore singulare Dei donum fuit, studio alienissimus, nullis precibus, nullis obsecrationibus adduci potuit, ut cum Ec- clesia faceret divortium. Et ut erat admodum eu- riosus, controversiarum quidem fontes ac schisma- tis causas cognoscere non abnuebat, emendandis erroribus, si qui deprehenderentur, omnem opem pollicitus: sed quum malitiam eorum qui ruinam Ecclesiæ sub hoc prætextu moliebantur, quo erat acerrimo iudicio ac profunda prudentia, subolfe- cisset, quamplurimas statim alienæ ab omni hoc hominum genere, qui jam suum esse sibi persuase- rant, voluntatis significationes dedit, ut in sequen- tibus ostendam. Jam enim tempus est ut primum Lutheranæ in Galliis Ecclesiæ fundamentum in- spiciamus.

QUOMODO MARGARITA FRANCISCI I. soror, Navarra regina, Lutheranis apud se receptum dederit.

CAPUT TERTIUM.  
A R G U M E N T U M.

- I. Lutheranismi prima semina in oppido Meldensi publice sparsa.
- II. Et à quibus.
- III. Lutherani ad promovendos conatus suos mulie- bres operas ambiunt.
- IV. Margarita Navarra regina doctorum quorun- dam virorum patrocinium suscipit, nondum recte eorum explorata integritate.
- V. Gerardi Ruffi historia, qui Benearni Principatum hæresi infecit: & quantum Navarrenæ fuerit aula facies.

VI. Rufus Abbas Cleriacensis, Temporisator vulgo appellatus, Catholicum se simulat.

PAVONEM ajunt, volucrum superbissimam, ubi diversicolore illo plurimarum ornatu, (quod singulis annis ei non minus quam arboribus acci- dit) quem antea ad solis radios tanto cum fastu ex- plicare solebat, orbatus fuerit, intra cortem suam præ pudore se continere, nec prodire inde, donec cauda ipsius variis coloribus picta, pristinum illud lumen, ac splendorem recuperarit. Eodem modo Hæresis, ferum & horrendum monstrum, deformitatis suæ (quam tamen sanctitatis prætextu quantum fieri poterat, velabat) sibi conscia, in publico apparere ac conspiciendam se prius dare aulam non est, quam plumarum aliquot pulcrarum in speciem adsciti- tum ornatum sibi acquisivisset, quibus & turpitu- dinem suam tegetet, & hominibus novitatis cetero- qui avidis, tanto facilius sese venditaret. Vidimus certe initio in diversis Gallia locis eandem passim jam nascentem, mox rursus denascentem, jam desi- cientem, instar Lunæ jam augescientem, sic ut mo- mento temporis tamquam pestilens anguis modo è cubili suo proferperet, mox rursus eodem se abde- ret atque occultaret; aut velut nocturnum fulgur su- bito erumperet, nec minus subito evanesceret. Tã- dem vero paullatim in Meldorum civitate, à Lute- tia non ita procul distante, an. m. d. xxiii. è laribus suis prodiit, & in aperto quasi ambulare cepit. Hæc illa fuit civitas, quæ primum Lutheranæ hæresi ho- spitiū aperte præbuit, cū perpetua nominis sui in- famia: unde postea LUTHERANI MEEDENSIS in proverbium abierunt. Ajunt novellæ ecclesiæ histo- ricæ, in hac urbe Evangelium (Lutheranismum in- tellige) fideliter fuisse annunciatum, alacriter rece- ptū, auctum brevi tempore admirabiliter, & cōstan- ter propugnatum. Erat tū ejus loci Episcopus Gu- lielmus Brissonetus, qui licet circa gregis fidei suæ cōmissi custodiã non esset indiligens, primus tamē Lutheranis ibi portā aperuisse existimatur, curiosi- tate quadã ductus, cetero qui laudabili, si cū prudē- tia fuisset conjuncta. Is enim cōtracta cū novis lit- terarum professoribus, qui Lutetiam tunc undiq; convolant, & multorum aures atque animos Græ- cificationibus & Hebraizationibus suis titillabant, notitia & familiaritate, aliquot ex iis [b] Lutheranos Zvinglianos ad se evocavit; inter quod quatuor- fere præcipui, Gulielmus Fatellus Delphinus, Ja- cobus

[a] Lutherani Meldenses. [b] Quatuor primi apud Gallos nostri temporis hæretici.